Dominus Jhesus stabiliter nos suo spiritu principali
ne traditi ipsorum ungulis dilaniandi succum-
bamus, sed fortiter Tyrannis insultemus,
Ut agnoscant nos amplecti veram doctrinam,
et Spiritum sanctum nobis dare testimonium
suae praesentiae, etiam in asperrimis saevis ~~prim~~
Tormentis, quemadmodum Stephano contigit. Vale et
sis vir fortis, Tu ne cede malis, sed contra
audentior ito. Ego vado Immolari, Ut fiam
odor Christi bonus, sed reposita est mihi Corona
Iustitiae etc. Haec spes mea in deo: qui solus novit
Immolationis meae horam, Ille quoque adsit
nobis sua immensa gratia, qui ait: Non deseram
vos. Dominus Jhesus Christus Aeternum. Amen. Datae
Sab: Egidij Ubi Nymrothi saeviunt inferas
deserti. 1548.

Vestrae Reverentiae

deditissimus

obediens discipulus

Caspar Aquila
Pastor in
Salfeld, sed
iam diu Ignoro.

Philippus Melanthon ad pastorem Suevum,
scripsit de non recipiendo libro Augustano, quem
INTERIM vocant M.D.XLVIII
post conventum Augustae habitum.

S. Reverende Vir, utrum editione Augustani libri
quaesita sit Ecclesiarum concordia, an vero oppressio
veritatis et vastatio Ecclesiarum et occasio tollendi
ac interficiendi pios Evangelij ministros, iam
res ipsa declarat. Urbs Ratispona fuit
supplex Imperatori, ne Ecclesia mutaretur. Haec
deprecatio adeo non deflexit Imperatorem, Ut vero
discessum Evangelij ministri pulsi sint, et templa
clausa. Brentius, cuius diligentia non solum
ad construendas et ornandas multas Ecclesias,
sed etiam ad pacem suae viciniae profuit, expulsus
est ex Salinis. Musculus ex Urbe Augusta.
Propter has Victorias Cardinalis Augustanus Tro-
phaeum erexit, in quo Carolo Imperatori gratias
agit de restituta concordia.
Cum igitur constet, quaeri oppressionem Veritatis, et
occasionem saevitiae exercendae in homines pios et doctos,
Nos ipsi nequaquam assentiemur illi Augustano libro,

Monemus etiam eruditos ac doctos viros, qui praesunt
Ecclesijs, ne recipiant illas doctrinae corruptelas.
Etsi autem politici gubernatores in primis deberent
et intelligere et tueri puritatem Evangelij
sicut scriptum est, : Et nunc reges intelligite,
tamen, cum imperia passim regantur a talibus
qui Evangelium aut non intelligunt aut oderunt,
Nos seiungamus nostram Confessionem a politicis
consilijs. Et videmus in multis locis viros
politicos et nobiles esse novi status latores, ac li-
benter eijcere pios pastores. Sed tamen in civi-
tatibus Consules et Senatores, qui Evangelium
et intelligunt et amant, hortandi sunt, ne se
adiungant hostibus Evangelij. Et cum receptio
libri Augustani sit obligatio ad opprimendam
veritatem, et ad exercendam iniustam saevitiam
talium consiliorum societatem fugiant.
Pericula vero Deo commendemus, quem speramus
Ecclesias, etiamsi desint humana praesidia,
sua manu protecturum esse, sicut saepe promisit.
Nihil seditiose facimus, ac solum consilium nostrum
eo spectat, ne lux verae doctrinae extinguatur
et ut tranquillitas harum Ecclesiarum, quarum
status iam mediocris est, retineatur. Nec levis

scelus esse ~~dicimus~~ ducimus impedire Invocationem
et magni doloris causam Spiritui sancto in multis
cordibus praebere. Nondum igitur ulla tur-
batio in Ecclesijs harum Regionum facta est.
Et in conventu gentis Misnensium honestae et piae
sententiae dictae sunt, ut videamus has Ecclesias
recipiendis corruptelis, quas continet liber Au-
gustanus. Saxonicam gentem speramus
gravioribus et constantiis suae specimen illustre
in re tanta praebituram esse. Vale 1548.

Philippus Melanthon.

Dem Hochwirdigen Fürsten und Hern,
Hern Niclasen Bischoff zur Naum-
burgk unsern lieben Hern und
freundt

Gnade und friede von gott dem vater durch
Christum unsern Heiland mein freuntlichen
dienst, Hochwirdiger Fürst lieber
Herr und freundt, Ich habe verlangst
E. L. geschrieben und gebeten, das